

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 85. (*Neovidensis* 1805. Nro. 82.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
ita functorum.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 25. Oct. 1805. (*Neov.* II. Oct.)

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit. — —

HORAT.

Colloquentes Personæ:

Dea Bellona, & Dea Clio.

Bellona. Pulcherrima Dearum Clio! Non possum committere, quin tibi per transennam significem meum ex sedibus quietis discessum. Bellum est, & quidem horridum!

Clio. Hoc me non latet, intrepida bellorum Dea! Miseror hominum sortem, de amisso etiam illorum gaudio valde doleo.

Bellona. Quisque suam exercet artem; ego assisto bellis, tu eadem describis. Acuo

calamos, para te ad consignanda facta heroica. Ergo sringo gladium.

Clio. Ergo tuus frater Mars iterum ad arma descendit? O turbulentum, & omnia evertentem Deum! Tua familia præsefert aliquid truculenti, & atrocis. Sed nolo exprobratione uti.

Bellona. Nil moror criminationes! Da potius operam, ut tui scribillatores (utique scriptores rerum novarum ad tuam pertinent Cancellariam) sine partium studio adnotent eventus bellicos.

Clio. Editores novorum sunt apes, quæ in meo territorio mell colligunt. Nullam sino illis inuri maculam.

Bellona. Dicitis potius, eos esse tui imperii levis armaturæ milites. More militari tibi mecum disserendum est.

Clio. (Intra se: Hæc est insolentia intolerabilis.) Prout placet, strenuissima Dearum! Attamen fateri cogor, eos ex tuo adventu summum percipere solatium; An recte, vel secus, nolo propugnare.

Bellona. O exsecrandos medaciorum fabricatores! Quod ex meo adventu capiant gaudium, hoc mihi non cedit honori.

Clio. Pace tua dixerim: Tua bellicosa vox, vel potius tua immerita maledicta palam faciunt te esse in medio levis armaturæ militum educatam. Talia non decent dignitatem divinam. Sed esto rerum novarum scriptores nomines levis armaturæ milites, illi tamen te minus nocent. Illi tuas victorias, & clades eo modo memoriæ prodent, quem promereberis. Quemadmodum veritas primus finis est historiarum, ita eadem est præcipuus character ephemeridum. Interim hic sermo est, quomodo quam citissime possit veritas haberi, qua in re utique multæ non genuinæ interveniunt relationes, quæ tamen factum probant, per tardiora deinde documenta clarius explicandum.

Bellona. Buccata fama præcedit annuntians mea facta. — Sine dubio ejus buccina non nunquam magis resonat, quam deberet, — *crescit eundo.* At vociferetur, oportet, qui victorias spargit.

Clio. Hanc buccatam Deam insectantur ephemerides, & quod illa exaggeravit, sollicitè colligunt. Omnia tandem ad me revertuntur, cujus gravissimum officium est, cuncta in ordinem redigere, veraque facta monumentis historiarum inserere.

Bellona. Tu ergo etiam causas, ex quibus bellum motum est, in tua adversaria retulisti? Patere, ut aliquid inde legam.

Clio. Hac in re magnorum virorum, qui certa experientiæ principia statuerunt, habui rationem; Illi ferant iudicium. Nostin' *Fri-dericum II?* Scio illum tibi in deliciis fuisse. Hujus verba adducam.

Bellona. Narrato, quid dicat.

Clio. In ejus operibus sequentem reperio de præmeditato bello animadversionem. Dantur bella præcautionis, & qui Principes talia gerunt, prudenter agunt. Illi quidem primos exercent hostilitatis actus, propterea tamen non sunt injusti. Quamprimum alicujus Gentis supra modum crescens potentia observatur e suis limitibus egredi, & minatur orbem terrarum inundare, prudentiæ consentaneum est, illi repagula ponere, & turbulentum rapidi torrentis decursum remorari, quamdiu id adhuc in nostra situm est potestate. Videntur congregari nubes, ingenti sono cælum strepere, & inter horrendos fragores micare ignes; si tunc Princeps imminentem hanc tempestatem non possit solus avertere, si sapit, conjunget se cum omnibus illis, qui in eodem versantur periculo. Si Reges *Ægypti*, *Syriæ*, & *Macedoniæ* societatem armorum inivissent contra potentiam Romanorum, nunquam fuissent illa regna eversa; sapienter institutum fœdus, & efficaciter gestum bellum prostravisset superba illa consilia, quorum executio notum tunc orbem vinculis alligavit.

Prudentiæ conveniens est, minus malum præferre majori, & certam rem eligere præ incerta. Melius fecerit Princeps, si, quamdiu adhuc optionem habet ligendi bellum, vel pacem, offensivum suscipiat bellum, quam si desperata expectet tempora, ut belli denunciatio ejus interitum tantum aliquod momenti possit prorogare. Decantata veritas est: præstat prævenire, quam præveniri; Semper felices erant magni viri, qui potentia sua prius usi sunt, quam potuerint hostes facere dispositiones, per quas faissent eorum vires enervatæ,

Omnia bella, quorum unicus finis est, resistere injustis occupationibus, legitime parta jura inviolata conservare, communem libertatem tutari, independentiam uniuscujusque Status, etiam debilioris stabilire, seque ab oppressionibus, & violentiis ambitiosorum liberare, --- Omnia inquam talia bella, quam optime conciliantur cum justitia. Principibus id modi bella gerentibus effusio sanguinis nequit imputari, agunt ex necessitate & in similibus circumstantiis bellum est minus malum pace,

Ita loquitur Fridericus II. ex quo sermone potes intelligere, ex cujus parte sit justitia hodierni belli.

Bellona. Quid ad me justitia; ego sum



Dea belli. Verum hoc bellum erit terribile!--
Vindobonenses aulicæ ephemerides in hunc
modum exponunt statum Austriaci exercitus
in Germania:

Intra Ulmam, & Memmingam (quæ duæ
civitates celerrime muniuntur) ad fluvium
Illeram, & utramque Danubii ripam consistit
Cæsareus, & Cæsareo Regius Austriacus ex-
ercitus 84 millium armatorum, cujus potissi-
mum equitatus terrorem incutit, potestque
se per planitiem Sveviæ latissime extendere.
Hujus conjunctio cum primo russo exercitu
ex 56 millibus bellatorum constante sub Du-
ce Pro-Mareschallo Kutusov (uterque exerci-
tus complebit numerum 140 millium) spera-
tur summum usque 11. mam Octobris even-
tura; usque 30. mam autem hujus mensis
alter etiam russicus exercitus 58. millium sub
ductoribus Michelson, & Buxhövdén adveni-
et; Hac ratione unita duorum Imperatorum
vis bellica ducenta formabit millia in Ger-
mania, præter copiosas subsidiarias legiones,
& exercitum in Tirol.

Hæc posterior Regio concertat cum re-
liquis hæreditariis Domus Austriacæ provin-
ciis, quibus omnibus nihil magis est in vo-
tis, quam conjunctis viribus durabilem, &
veram expugnare pacem, quæ per summam
conniventiam, & ab omni suspicione alienam
moderationem obtineri non potuit. Hæc na-

tio di-
bus p-
conju-
Domu-
vata f-
ta; di-
cessio-
midab-
domiu-
mo in-
liano,
signa
ram p-
per 2-
mis ex-
nerali-
Ex qu-
Mona-
eorum
cresci-

B
pue R-
troduc-
per un-
cassid-
nèt fa-
tates,
aut fla-

tio dignam se exhibet illis temporibus, quibus per eorum fidelitatem in tricennali bello conjunctio Germanicæ, & Hispanicæ lineæ Domus Austriacæ in Tirolis, & Italia conservata fuit, & pugna ad Nordlingam præparata; dignam temporibus, quibus (in bello successione Hispanicæ) nimis potens Gallia formidabiles suos Heroes Catinatum, & Vendomium frustra misit, ut juncti cum fidissimo inimici imperii germanici socio, Maximiliano, Emanuele Bavaricæ electore victoricia signa usque ad Dravum, Anesum, & Muram proferrent. Quatuor agmina militum per 20 millia parata stant, & quotidie in armis exercentur. Tam particularis quam generalis insurrectio in ordinem digesta est. Ex quo hos Alpium incolæ paterna amati Monarchæ voce alloquitur Archidux Joannes, eorum fides, quæ jam in proverbium abiit, crescit in immensum.

B i o g r a p h i æ.

Bellona. Dea belli, soror Martis, præcipue Romæ colebatur. In ejus templum introducebantur Duces, qui in triumpho vehi per urbem petebant. Pingitur vestitu virili, casside, clypeo, & veru ornata. Manu tenet facem, vel exagitat flagellum ad hostilitates, & bellum accendendum. Sæpe veru, aut flagello, regit equos Martis.

Clio. Filia Jovis ex Mnemosyne, una novem Musarum. Præest Historiæ. Poëtæ fabulantur, illam amore Pieri captam peperisse Hyacinthum. In simulacris noscitur ex convoluta charta, vel libro, quem manu gerit, in altera habet stylum ad scribendum. Si velimus Historiam in Dialogum convertere, hæc Musa commodat suam personam. Circa eam plerumque jacent etiam opera veterum Græciæ Historicorum, qualis est Herodotus, & alii plures.

In eadem hac Officina Belnayana sequens, præter complures alios, liber venalis
prostat.

Joannis (P. Fr.) Stimulus Compunctionis et soliloquia, Editio novissima, cæteris emendatior. Accedit brevis vitæ Auctoris epilogus, cura, & studio Fr. Ildephonsi a S. Aloysio ejusdem Ord. in Etruria. Denique R. P. Bouhours Cogitationes Christianæ pro singulis mensis diebus interprete G. A. Belnay, 8. 1805. 45 xr.

Hertzeg Piripionak tüänder története, Wiewland után írta Magyar Földijének mulattatására Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.
Theophron, vagy a' tapasztalt Tanátsadó a' tapasztalatlan Ifjúság' hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 xr. Posta papirosra 3 fl. Fényes papirosra 6 fl. 40 kr.
